



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 41. Leges Valentiniani.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

## §. XLI.

*Leges Valentiniani.*Sæculum IV.  
A. C. 374.

Imperator Valentinianus contra Donatistas legem tulit, eamque misit ad Julianum Proconsulem Africæ, quæ statuebat, ut ille, qui rebaptizasset, Sacerdotio indignus pronuntiaretur. Data est hæc lex Treviris, decimo Calendas Martii, Valentiniano, & Valente quarto Consulibus, id est, vigesima Februarii, anno 373. Anno superiore, nempe 372. legem ediderat contra Manichæos, ad Ampelium Præfectum Romæ datam, qua præcipiebatur, ut ubicunque congregati inventi fuissent, eorum Magistri severe punirentur, & domus, in quibus docuissent, ad Fiscum Cæsareum traherentur. Lex ista illius inquisitionis effectus fuisse videtur, quæ Romæ anni 371. & 373. contra Magos imperata fuerat, quippe Manichæi quoque Magi, venefici, incantatores, & præstigiatores esse inculabantur.

*Lib. I. Cod. Theod. de Sauct. bapt.**Lib. III. Theod. de hæret.**Epiph. hæret. 66. n. 13. & n. 88.*

Præterea Valentinianus legem Clericis minus honorificam, necessariam tamen tulit. Ecclesiastici, & Continentes, id est, Ascetæ, seu Religiosi, viduas, aut puellas, parentibus orbatas, in ædibus earum invisere prohibebantur, facta consanguineis, & affinibus eorum licentia, tales ad publica tribunalia deferendi. Illud quoque in illa lege statuebatur, Clericos

*L. XX. Th. de Episc.*

Sæculum IV. ricas a muliere, ad quam Religionis ob-  
A. C. 374. tento familiaris accessissent, nec ullo do-  
 nationis titulo, nec testamento, aut in-  
 terposita tertia persona quidquam posse  
 acquirere, apposita confiscationis poena,  
 nisi aliunde, & propinquitatis jure talium  
 fæminarum hæredes essent. Hæc lex  
 ad S. Damasum Papam directæ est, & in  
 Ecclesiis urbis Romæ tertio Calendas Au-  
 gusti, Valentiniano, & Valente tertio  
 Consulibus, id est, 30. Julii anno 370.  
 promulgata. Nihil credere prohibet  
 hanc legem ipso Papa postulante fuisse  
 editam, ut potestatis sæcularis auxilio ro-  
 primeretur avaritia quorundam Clerico-  
 rum, nobiles fæminas Romanas ambicio-  
 sium, ut partem divitiarum, quas illæ  
 possidebant immensas, eblandirentur.

§. XLII

(\*) Hæc Reflexio Fleurii Protestanti Inter-  
 preti nullatenus placet, sed calumnias contra  
 S. Damasum Papam prosequitur in adjecta Nota.  
 Dabingegen andere wahrcheinlicher also ge-  
 schlossen: Weil Damasus selbst nicht viel ge-  
 tauget, und seine Tugenden die Geistlichen  
 nicht bessern können, so habe der Kayser zusah-  
 ren, und seinen Befehl öffentlich ablesen lassen  
 müssen. Hæc ipse sine omni fundamento. De  
 de S. Hieronymi Satyra contra mores quorum-  
 dam Clericorum summopere delectatur. Ubi  
 nam iste homo nihilominus sicut S. Hierony-  
 mus